



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum I. Decretalium, Per quadraginta, & tres Titulos distributum, in  
quo agitur De Constitutionibus, Seu Legibus universim ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1706**

Articulus III. Quibus modis sinitur officium Legati?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73031](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73031)



tati; horum autem inhæreat duntaxat personæ.

### ARTICULUS III.

Quibus modis finiatur officium Legati?

2387.

**R**esp. 1. finiri morte Legati, si commissio facta sit personæ; secus, si officio ejus, vel dignitati, c. quoniam 14. de Offic. delegati, ibi: quoniam Abbas Leicestræ, qui suscepto mandato nostro partibus diem ad agendum præfixit, Abbatem Vincestræ, de novo substitutum Judici præmortuo, illi mandato nostro porrecto: quia sub expressis nominibus locorum, & non personarum commissio emanavit, sibi focium in causæ cognitione adjunxit: Nos sententiam illorum (sicut est justa) ratam, & firmam habemus.

Secundò, lapsu temporis apposti, c. 4. h. t. ibi: de causis, quæ intra certum terminum decidendæ committuntur, hoc tuam volumus cognitionem tenere: quòd, nisi dies præfixus de communi consensu partium prorogetur, eo transacto mandatum expirat.

2388.

Tertiò, revocatione etiam tacita; ut, si negotium alteri committatur c. 2. h. t. ubi Pontifex Episcopo Bonon. scribens, ait: si à nobis super aliqua causa literæ

impetrantur, & aliæ postea (non facta mentione priorum literarum) literæ opponuntur, si Judicibus innotuerit, donec Romanum Pontificem consulant, & suam exinde cognoscant plenius voluntatem, executioni superseant utrarumque, ne, pro varietate literarum, causarum fines valeant impediri; quòd intellige, postquam ei revocatio intimata est; argumento c. audita, de Restitut. spoliat.

Quartò egrediendo de Provincia, animo non redeundi; L. 3. ff. de Offic. Presidis: quintò, si negotium referatur ad Pontificem (nam quoties causa refertur ad Pontificem, Legatus non potest amplius in ea procedere juxta c. 5. h. t.) non autem morte mittentis; quia Legatorum jurisdictio est ordinaria, c. 2. h. t. in 6. & ideo est magis firma, quàm delegatorum. Si autem contingat, quòd Pontifex alium Legatum constituat in eadem Provincia, revocari primum, affirmant aliqui, negant alij; quamvis autem verum sit, nec ex natura rei, nec etiam juris dispositione repugnare, quòd in eadem provincia duo sint Judices Ordinarij, L. 1. ff. de Offic. Consul: præsumi tamen meritò potest, ubi aliud non exprimitur, revocari primum, constituto secundo illi non subordinato, ad vitandam confusionem.

## QUÆSTIO XXXI.

### IN TIT. XXXI. DE OFFICIO JUDICIS ORDINARIJ.

2390.

**J**udex Ordinarius est, qui primam exercet jurisdictionem, sibi competentem ratione dignitatis, Lege, Canone, consuetudine, c. duo 9. h. t. quo differt à delegato, qui fungitur vice delegantis. Hinc jurisdictio Ordinaria tribus modis acquiritur: nimirum, dispositione juris, consuetudine, & privilegio; quibus positis: quæstio est 1. quibus comperat jurisdictio Ordinaria? R. quòd Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, in suis Provincijs, id est singulis in sua diocesi; Abbatibus in suis Cœnobijs; Pape respectu totius Orbis Christiani. Judicibus Ordinarijs annumeratur etiam Legatus Apostolicus, c. 2. de Offic. Legati in 6. Rectores autem Ecclesiarum Parochialium potestatem Judicis Ordinarij non habent, nec ullum forum conten-

tiosum. Unde non excommunicant, nisi eis hoc tribuat consuetudo; quo sensu intelligi debet c. 3. h. t. licet habeant administrationem aliquam earum Ecclesiarum, per c. Tua, 4. de Cleric. egrot.

Quæstio est 2. quotuplex sit ordinaria jurisdictio Episcopalis? R. quòd duplex, consistens nimirum in duabus legibus, quibus jura Episcopalia concluduntur, c. conquerente 16. h. t. ubi Episcopo dicit Honorius III. Tu autem his Juribus (nimirum ibidem enumeratis) in præfatis Ecclesijs contentus existens, non amplius ab eis exigas, præter moderatum auxilium, quòd juxta formam Lateranens. Concilij (si manifesta, & rationabilis causa extiterit) cum charitate postulandum, sicut ab alijs Ecclesijs ejusdem Diocesis, pro necessitate temporis sustinemus; & gloss. in c. dile-